

demiae natalem sequitur XIX. Octobris publice in aula cathedrali, loco ad eos actus in templo ad arcem Academico destinato, est renunciatus. Promotoris functione gavisus est *Andreas Rudolfi Carolstadinus de Bodenstein*, vel *Andreas Bodenstein ex Carolstadt*. (uti in Actis Facultatis nostrae habetur ejus nomen promiscue, vir ita comparatus, ut vel infelici Alphabeti initio A. B. C. D. quod nomen ejus exprimit, triste admodum ambitiosi & exorbitantis ingenii monumentum reliquerit,) Mox quoque sub Decanatu **WENCESLAI LINKII** in Senatum Theologicum receptus, ea omnia, quae illud munus secum ferebat, diligenter & studiose peragenda suscepit, & quotidie in Sacrarum literarum cognitione, aliisque donis insignibus profecit. Ad honorum illorum Solennitatem pro more Ordinis sui primores Erfurtinos humanissime invitavit, & quid sibi mentis sit circa hanc promotionem, sincere aperuit. *Iesus. Salutem in Domino, Reverendi, venerabiles ac dilecti Patres.* Ecce instat dies *S. Lucae*, quae ex obedientia Patrum & reverendi Patris Vicarii, (qui erat Staupitius) mibi celebrabitur **AVLA CATHEDRALIS** in *Theologia*, sicut credo ex literis reverendi Patris nostri Prioris Wittenbergensis abunde intelligere paternitates vestras. Omitto meam meipsius accusationem ac insufficientiam, ne etiam ex humilitate superbiam aut laudem quaerere videar, Deus scit, scit & conscientia mea, quam dignus & quam gratus ad hoc ostentum gloriae & honoris sim. Proinde obsecro per misericordiam Christi, primum ante omnia, ut me communibus suffragiis Deo commendare velitis, sicut jure charitatis meos in hac parte debitores vos esse scitis, ut sit mecum voluntas ejus beneplacita & benedicta &c. Epistola 3. T. I. Epistolarum ab Aurifabro collectarum p. 4. Ex quibus verbis modestia,